



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicis totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XLII. In Domin. XIII. Post Pentec. Non est inventus, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Luc. 17. Arg. Charites nostras sibi vendicant formatio, reformatio, ac transformatio hominis.

---


---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

turbandi, nisi se corrigant, cum eodem.  
Hos itaque per preua redemptionis  
nostræ obtestor, ut memores sint, unde  
excisi, revocent se ad imaginem DEI,  
imò ad amorem totos quantos effor-  
matus: Et si quid etiamnum naturæ

humanæ illis inest, si quæ arteria, si  
quæ fibræ hominis, venena exspuant,  
sibi dent dextras invicem, amplexen-  
tur in osculo pacis; & DEUS pacis, &  
dilectionis erit cum ipsis. Amen.



## CONCIO XLII.

IN DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Non est inventus qui rediret & daret gloriam DEO,  
nisi hic alienigena. Luc. 17.

### ARGUMENTUM.

CHARITES NOSTRASSIBI VENDICANT FOR-  
MATIO, REFORMATIO, AC TRANSFOR-  
MATIO HOMINIS.

*Beneficio-  
rum semen  
cito excres-  
cat.*



I. **B**Atalis hic naturæ  
humanæ aborsus  
est, ut nihil rari-  
us, aut ferius se-  
mente benefi-  
corum excrescat,  
aut facilius exarescat. Auditores.  
Quàm plurimos revocare ad calculum  
est, qui copioso ejusmodi semine aliis  
concredito se litus arasse, semen unà ac  
operam perdidisse, aut pererras in au-  
tumno necessitatis ex eo spicas legisse  
desseverint. Videre est (prout de sua  
semente fatur Agricola cœlestis) aliud  
cadere prope viam, & transeuntium  
viatorum pedibus conculcari, despici,  
atque ab iis perinde ac volucris  
subitò avolantibus arripi, & concoqui.

*Luc. 8. 5. 6.*

Aliud in saxum, pectus inquam obsti-  
natum, quod incassum munus, vel mu-  
neribus emollieris. Aliud inter spi-  
nas opulentorum suffocari, infatuari,  
obliterari. Quodque mirè, multò  
maturius in Africa gentes inter barba-  
ras, in leonum ac tygridum incunabi-  
lis, gratiarum demetes spicas, quàm in  
fœcundis, & sanguine Agni incontra-  
minati, & immaculati irrigatis Chri-  
stianitatis visceribus unam, alteramve  
reperias. Ita ut non nisi singularis, ac  
propemodum nimius (quo jacitur be-  
neficiorum semen) affectuum calor,  
aut copiosior beneficiorum velut im-  
brium affluentia fertilitati telluris no-  
stræ officere, eamque infœcundare vi-  
deatur. Sterilitatem hanc desset ho-  
dier-

dierna luce Dominus eamque infœ-  
cundis improperat arvis dicens: Non-  
ne decem mandati sunt & novem ubi sunt?  
Non est inventus qui rediret, & daret glo-  
riam DEO nisi hic alienigena. Nonne  
hæc est summa sterilitas, summa ingra-  
titudo, quod ex decem granis, non nisi  
unum excreverit idque non ex terra  
promissionis, sed Gentium, non ex be-  
nedictis Patriarcharum campis, sed ex  
fulminantis Esau glebis, non ex Evan-  
gelicæ perfectionis novalibus, sed ex  
Luc. 17. 17. dumetis Ethnicæ superstitionis: Non  
est inventus, qui rediret &c. Quod dum  
expendo subvereri cogor, ne ubi cœ-  
lestis Paterfamilias congregaturus est,  
triticum in horrea sua eadem sterilita-  
tis notâ laboremus, ne eodem crimina-  
tionis telo tangamur, & inveniamur  
terra reprobâ, & maledicto proxima.  
Ea de causa induxi acceptum benefi-  
ciorum semen non nihilum expendere,  
ut perspiciendo quanta gratia colla-  
ta sit, quantæ Largitori nostrô recipro-  
cæ referendæ sint concludamus. Tu  
ô fator omnis boni consilii divine spi-  
ritus præsta, ut cuncta cedant ad San-  
ctissimæ ac individue Triadis gloriam,  
& nostrarum emolumentum anima-  
rum.

## PARTITIO.

II. Quemadmodum Poetæ tres ef-  
se Gratias commenti sunt; ita Angeli-  
cus, quâ vitæ sanctimoniâ, quâ subli-  
mitate scientiæ doctor Aquinas in tria  
veluti grana, seu missus universorum  
beneficiorum sementem collegit, ex  
qua messis grati animi excrefcere de-  
beret. Sic enim docet: Tribus potissi-  
mum de causis gratia agenda sunt, & amor

DEO Optimo M. exhibendus à nobis, quia  
scilicet nos formavit ad bonum esse, refor-  
mavit ad melius esse, & transformabit ad  
optimum esse. Formavit ad esse Tempo-  
rale, seu Naturæ, reformavit ad esse spi-  
rituale, seu gratiæ; transformabit ad  
esse optimum supernaturale, & gloriæ.  
Formavit ad esse naturæ per creatio-  
nem, reformavit ad esse gratiæ, per Re-  
demptionem; transformabit ad esse  
gloriæ, per Glorificationem, seu visio-  
nem sui. Ex hac semente, ex his granis  
messis opulentissima gratitudinis exur-  
gat necesse est.

## § I.

*Gratitudo ob formationem debita.*

III. ET quidem primo gratitudi-  
nem pullulare erga divinam  
Majestatem par est ex fundo, & semine  
Naturæ rationalis acceptæ per Crea-  
tionem. Ex hac enim beneficii semen-  
te, illud omne in nos derivatum est,  
quidquid vel in bonis corporis, vel a-  
nimæ, vel fortunarum possidemus. Per  
bona autem corporis accipio elabora-  
tam stupendo opificio compagem ip-  
sam, structuramque corporei ædificii  
ex tot venis, arteriis, ossibus, membris,  
non verbo, ut cætera elementa, ac ipsi  
superni spiritus ex ignobilis nihili in-  
cunabilis procreata; sed altiore SS.  
Triados consilio omnipotenti illius  
dexterâ ex terra Damascena eductam.  
Intelligo non ad instar serpentium ani-  
malium, verum excelso ad cœlestia la-  
quearia vultu erectam. Quippe ut con-  
cinam Poetæ: Pronaque cum spectent a-  
nimantia cætera terram.

*Gratitudo  
ob creatio-  
nem.*

*Ovid. l.  
Met.*

*S. Tho. 2. 2.  
de amore  
DEI.*

*Os boni in sublime dedit, cœlumque tueri.*

Intelligo attributa, ac dotes eminentissimæ totius structuræ, ut fortitudinem ad audendum terribilia, & ad perferendum adversa, sanitatem inconcusam, membrorum omnium integritatem, perfectionem, ac symetriad. omnemque aliam ad eundem probè conferendum aptatam suppellectilem.

*Bona animi.*

IV. Per bona autem animi veniat tibi Christiane ipsa Imago Divinitatis animæ tuæ insculpta. Ad imaginem enim, & similitudinem suam creavit te. Quæ ipsa à tui consortio excludis omnium aliorum animalium diversitatem; concludis, quæ vegetativorum, quæ sensibilibus, quæ rationalium perfectionem; includis summum potentia memorativæ, intellectivæ ac volitivæ apparatus. Ut eam ob rem à Trismegisto, magnum orbis miraculum, à Platone DEUS immortalis, ab Aristotele finis omnium rerum creatarum, ab Areopagita Dominus universi, à Chrysostomo Rex operum altissimi, à Damasceno opus singulare divinæ sapientiæ, ab Augustino gloria Divinitatis, ab Ambrosio Præfectus, & gubernator viventium, alter Deus ab Ireneo sis nuncupatus.

*Bona fortuna.*

V. Ad extremum per bona fortunæ occurrat tibi quidquid vel oculos oblectare, vel aures delinire vel gustum satiare, vel tactui velificari, vel naribus blandiri potest. Veniat inquam incensum datorum quidquid vel tellus suis recondidit visceribus; vel Neptunus conchiliatis inseruit testis, vel æter, cœlumque completitur ambitu, totum id quantum est, ab eodem Largi-

to bonorum omnium in te derivatum est: *Constituit (ait Psaltes) te Dominus supra opera manuum suarum, & omnia subiecit sub pedibus tuis, oves & boves universas insuper & pecora campi.* Ipse bellaria de ramis arborum, volatilia de nemoribus, natatilia de fluminibus, de Campis saginata ovium vellera subministrat. Ipse ut nos exhilaret in Luscinia tam argute modulatur, in Massico tam sapide dulcescit, in floribus tam candidè splendet, tam blandè nitilat in stellis; tam fructuose ancillatur in omnibus elementis, ut non tantum necessitatibus nostris abundè provisum sit, sed ad delicias usque ab eo adamemur. Utinam, Utinam Elisæus quispian cœlitus impetraret, quatenus aperirentur oculi vestri videretis currus DEI decem millibus jumentorum ad parandam vobis mensam oneratos; videretis omne pelagus, omnem hortum, omnem oculum pecudum esse in motu ad vos fovendos, recreandos, saginandos; videretis luminaria cœli majora & minora, propinqua & remota, præpotenti eos impellente dexterâ cursus suos perficere; videretis. Supremam Majestatem totam in rationibus vestris promovendis intentam.

*Providentia divina.*

VI. Proh quam ponderosa sunt ista ad gratitudinis ubertatem in nobis ingeneranda argumenta; quam copiosam ex hac semente exurgere gratiarum messem par est! Etenim si plurimum te obstrictum profitereris Galeno cupiam quam lumen oculorum tuorum in cœcitate tua, aut auditum in surditate, aut necessarium corporis motum in paralisi, aut aliam quam-

cunque

cunque opem, arte ipsius medicâ percipiffes; an minores litabis gratiarum hostias Deo tuo ob integritatem membrorum, ac sensuum omnium ab ipso conditorum. Si meminisse debes xenni cujuscunque à quovis mortalium oblatis; dona innumera ab immortalibus collata pudendâ oblivione oblitterabis? Vel si religione rangeris ne inter homines deprehendaris ingratus, apud cælitates hac notâ laborare non erubescas? Exurge, exurge hic vir in camino tribulationis à DEO probate Tobia, exurge & vel è sandapila, tanquam ab exedra, edoce nos hujus eximie virtutis perfectionem. Audio ego te post accepta nonnulla per Angelum beneficia, post recuperatam Gabelo concreditam pecuniæ summam, post initos ejus consilio, & auxilio Hymeneos opulentissimos, post reditum filii tui in pace, etiamnum inscium, unde nam ea messis beneficiorum proximè redundaverit, cum eodem disceptan-

Tobia gra-  
tus animus.

Tob. 12.  
1. 2. 3.

tem: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Audio pariter respondentem tibi filium: Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficium ejus? me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit & demonium ab ea ipse compefcuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus, quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto à te Pater mi ut roges eum, si forte dignetur medietatem de omnibus, que allata sunt sibi assumere. Et hæc conferebatis, ut dixi conjicientes duntaxat obtutum in beneficium accepti magnitudi-*

nem, non verò in Mæcenatis conferentis dignitatem. Quodnam verò, eo se manifestante esse Angelum Raphaellem, unum ex iis, qui adstant ante Dominum, in vobis certamen affectuum ortum fuerit, arduum mihi foret conjicere, ne dicam explanare, nisi me divina eloquia edocuisissent. Ex quibus id accepi. *Cumque hæc audissent turbati sunt, & trementes ceciderunt in faciem suam super terram ac prostrati per horas tres, in faciem benedixerunt Deum, & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.* Tanta eos tenuit admiratio, tantoque pavore perculsi sunt, cum ob Divinæ bonitatis in te Clementiam, tum ob ipsiusmet personæ celsitudinem, per quam illis singulari ratione opitulari dignatus est, tum ob ipsius beneficii relati, & ob oculos positi magnitudinem; ut trium horarum intervallo attoniti, ac immoti permanferint, nec à Divinis laudibus cessare potuerint.

ibid.

VII. Auditores mei per viscera misericordiæ DEI nostri vos obtestor, ut accuratiore mentis trutinâ beneficia vobis collata, vel in sola formatione cum his omnibus appendatis.

Dicite quid excellentius sit, an corp<sup>9</sup> vestrum animæ nobilissimæ copulari, aut hominem homini certis fœderibus sociari, minusne vobis videtur oculorum aciem inviolatam fuisse servatam; an prodigio redintegratam? An morte toties vindicatos, an à devoratione piscis liberatos? An minus totius orbis divitiis quàm certis quibusdam talentis ditatos? an minus, vos integerrimo vitæ fluentis cursu, quàm unius alteriusve mensis spatio custoditos? Si

itaq; Sanctissimis illis viris vires, ratio-  
q; defecerat; quâ tantorum beneficio-  
rum largitori satisfacere pollerent, ei-  
que dimidium bonorum suorum sum-  
mam dedicabant; multumne vobis vi-  
detur, si supremo salutis vestræ Au-  
thori, ac bonorum omnium dispensa-  
tori, totam vitam vestram consecretis?  
si sancti illi viri excellentiam personæ  
comitantis cognoscentes, in terram  
proni cecidère, longo temporis spatio  
in oratione defixi, quomodò nos ere-  
ctam cervicem non inflectim? summo  
spirituum omnium principi Domino  
Deo Nostro? Eia provolvere, provolve-  
re vel sero, hostiam Eucharisticam im-  
mota, anima mea, & cave ne unquam  
millenis titulis debitum gratitudinis  
censum eidem deponere intermittas.  
Dic identidem in corde tuo: O Do-  
mine nonne tu magnus ille figulus es,  
qui me omnipotentia tuæ dexterâ in  
rota hujus mundi ex nihilo formasti!!  
An non tu supremus universi hujus  
Moderator, & essentia meæ Auctor,  
me ex Chao mei nihili extraxisti?  
Nonne tu cum nihil promereri pote-  
ram, tam nobilem me Creaturam con-  
didisti? Nonne tu cum in illis tene-  
bris, in illis carceribus, & illis nihili ca-  
vernis versarer, bonitate, & misericor-  
dia tua infinita impulsus merissimâ  
gratiâ tuâ omnipotentiam, bonitatem-  
que erga me tuam ostendere dignatus  
es, exornando me imagine tuâ? An  
non tu Domine sensus omnes, ac  
membra tanto artificio, prudentiaque  
composuisti; ut si penitus examinare  
istendam, miraculum quoddam sapi-  
entia, ac omnipotentia tuæ videar?  
Et interea tantum absuit, ut debitum

*Affectus  
gratitudinis*

gratiarum vestigial deponerem; ut re-  
etiam exacerbare non dubitaverim, re-  
giam hanc effigiem conspurcaverim,  
beneficia in veneficia, tuam gratiam  
in ingratitude convertentem, tua  
dona, gratiasque pudendo oblivionis  
sepulchro tumulaverim. O me infamem!  
ô me prostituta mentis homuncionem  
in tantum ab excelsis filiorum  
DEI cogitationibus deflecentem!!

VIII. Quanto sapientius egit Job,  
qui hoc ipsum Creationis beneficium  
agnoscens id ipsum propalam profes-  
sus est, seque totum in acceptis tibi re-  
tulit dicens: *Manus tua Domine fecerunt me, & plas-  
maverunt me totum in circuitu. Memento quod sicut lutum feceris me  
& in pulverem reduces me. Pelle & car-  
nibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti  
mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.* Hoc scilicet erat beneficia di-  
vina recognoscere, & obsequii pignora  
confiteri; non verò mei instar eorum  
oblivisci, & quod extremae de-  
mentia est ipsum Benefactorem of-  
fendere, & remunerationis loco, sum-  
mas ei injurias irrogare. Sed jam ô  
Domine retraxo vitam meam, retracto  
ingratitude, recoquo quod perpe-  
ram digessi, me totum quantum in he-  
catomben offero, futurus deinceps to-  
tus quantum tuus, victima, ac vesperti-  
num minimum sacrificium Eucharis-  
ticum.

§. II.

*Gratitudo ob reformationem.*

IX. **F**UNDUS ac semen aliud ex quo  
segetem grati animi exrescere

*Gratitudo  
Deo debita  
ob reforma-  
tionem.*

par

*Ecclesi. 15. 14.* par est, juxta eundem S. Doctorem est: *Reformatio hominis ad melius esse. Constat nobis conditum hominem initio redum, & relictum in manu consilii sui, indutum justitiæ Originalis paludamento, exornatum unionibus gratiæ, vallatum auxiliis opportunis. Verùm subinde partim ex fragilitate sua hallucinatum, partim dæmonis instinctu illustum pessum dedisse perfidè hunc animæ Ornatum, deformatum ab Imagine DEI in monstrum Diabolicum, factum ex filio DEI Mancipium peccati, ex cive cœli incolam inferni, ex hærede vitæ subditam mortis temporaneæ, ac æternæ. Hanc extremam hominis catastrophem videns in exhaustæ bonitatis Deitas, decrevit in inscrutabili SS. Trinitatis consistorio, ut ad reformationem lapsæ, ac deformatæ humanæ naturæ sapientiâ increata, Verbum Patris æterni, carnem nostram assumeret, ac in ea hominem multò nobiliùs recrearet, quam formaverat, Quod ut efficeret, proh quâ graves afflictiones, semoto omni consolationis terrenæ temperamento sustinuit in corpore, honore, anima! In hac trœdia, mœrores, pavores, anxietates ad mortem usque. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* In honore infanda tam vilis plebeculæ, quam ipsorum Pontificum impropria, usque ad sui concalcationem, ac maledictionem. In corpore dolores prope immensos, ex catenis, & funibus, quibus compeditus, ex alapa & flagellis, quibus usque & usque concisus; ex spinis, quibus dirissimè coronatus, ex clavibus trabalibus, quibus ad summam Lanienam affixus fuerat, tandem per mortem ipsam,*

immensos inter eruciatus, obitam.

X. Eia peccatores alto ingrati tudinis veterno confopiti evigilate, erigite aures, atque animum; est quod inquiram, respondete quæso. Nos qui tantis à Christo servatore nostro præventi sumus beneficiis, nulla ne nomina contraximus? nullamne grati animi tesseram ei deferemus, nonne nos totos eidem in mancipia perpetua devovere obstringimur? Age dic Melliflue, *Berni.* quid sentis? *Si totum me debeo,* inquit, *pro me factis, quid addam jam pro resecto, & resecto hoc modo? Neque enim tam facile resectus, ac factus, siquidem non solum de me, sed de omni quod factum est, scripsit: dixit & facta sunt; At verò qui me semel tantum dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna.* *Ambr.* Age dic & te compello S. Ambrosi edisere, quid opinaris: *Nihil est, quod dignum referre possimus pro suscepta carne in Maria. Quid pro verberibus? quid pro cruce obita, & sepultura reddemus? Licet Crucem pro Cruce, funus pro funere demus, nunquam reddimus, quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso habemus. Tantum est hoc beneficium, ut nec æstimari, multò minùs refundi queat, si enim ipsemet se totum quantum, pro te exposuit; an non te totum recipere millies & millies sibi mancipabit? Si sacratissimum verticem dedit fodiendum spinis, an non pro merito quidquid in tuo capite cerebri, judicii, æstimationis, memoriæ sibi vendicabit? si oculos suos devovit ad lachrymas amarissimas pro peccatis tuis fundendas, aures ad contumelias, & blasphemias audiendas, nares ad fœtores susti-*

*D d d 3;*

*nen.*

uendos, faciem ad alapas, collum ad colaphos, humeros ad crucem portandum, os & guttur aceto, felleque potandum, manus ac pedes ad perforandum, bajulandum, crucifigendum; & sic se toto exposito te necdum ex asse suum reddidit? Profectò indignus est vitâ, indignus meritorum Servatoris sui fieri particeps; qui eidem recusat vivere, indignissimus, qui nec census gratitudinis conhititur deponere.

Exod. 13. 3.  
4 5.

XI. Vindicato ex Pharaonis ferreo jugo populo Israelitico, hanc ei legem benignissimum numen statuit: *Memento diei hujus in qua egressi estis ex Aegypto & de domo servitutis. Celebrabitur hunc morem sacrorum mense isto, narrabisque filio tuo in illa die dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Aegypto. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & ut Lex Domini semper sit in ore tuo. In manu enim forti eduxit te Dominus de Aegypto. q. d. Cogita terminum miserimum, ex quo te eduxi, perpende modum, quo te perduxisti; reflecte te ad locum, in quem introduxi; terminum à quo, plenum calamitatis & miseriæ; modum plenum prodigiis; locum ad quem plenissimum quietis, abundantia, & pacis reperies. Conare itaque, ut & corde geras, & ore proferas, & calamo consignes, tanti beneficii monumentum, neque unquam obliteres. Quod si jure divina Majestas pro corporalibus beneficiis, ac libertate corporis tantam gratiarum segetem efflagitavit, quantam æquiore pacto exposceret à nobis pro spiritualibus bonis, veraque libertate animæ asserta? O quanto vehementius urget nos, quam*

Judæos lege sua: *Memento diei hujus. Vide ne undis præterfluentibus, aut ventis committas. Memento diei hujus in qua egressus es ex Aegypto, ex ferrea Diabolica servitute vindicatus. Quanto item justius instat per Ecclesiasticum: Gratiam Fidejussoris tui ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam. Quam merito per Apostolum suum commonet: Empti estis pretio magno, glorificate, & portate DEVM in cordibus vestris. Nempe casum illud servando in obsequium spiritus, spiritum verò in gloriam, & gratiarum actionem DEO vestro excitando.*

XII. Compertum id erat Sanctis Dei, ideoque gemitibus inenarrabilibus ululabant, videntes se, non posse vicem rependere Servatori suo Crucifixo. Admirabantur illum amoris excessum, quo proposito sibi gaudio, ex electis suis concipiendo, sustinuit Crucem, confusione contempta; & vicem se nullâ ratione posse rependere confundebantur. Passionis ejus ludibriis, flagellis, ac spinis in tantum incitabantur, ut veluti sui impotes in profundum demissionis, ac amoris ipsius abyssum immergerent; id unum queritantes: *Quid retribuam Domino pro omnibus qua retribuit mihi. Quid retribuam pro structura corporis mei? quid pro reformatione animæ meæ? quid pro tot gratis? quid imprimis pro sanguine, pro vita DEI mei? quid retribuam Domino pro omnibus? Benedico, laudo, atque adoro immensum amorem tuum, quo te mi IESU tam intolerandis laboribus obtulisti, me iis sublevatur? ô adoro orationes, quas pro me fudisti, adoro famem, frigus, æstum, quem pro*

Eccle. 19.  
20.

Psal. 115.  
12.



pro me sustinisti; Adoro omnem austeritatem vitæ, pœnitentias, opera pœnalia, ac instrumenta sacratissimæ Passionis, quæ pro meis peccatis suscepisti; Adoro sensum, quo eadem deplorasti; desiderium quo te pro iis obtulisti; anxietatem, dolorem, & amorem quo satisfacisti, gratiam, & veniam, quam per eadem impetrasti; Tu solum, qui pro me passus es, miserere mei.

## §. III.

*Transformatio hominis.*

XIII. **T**ertium semen, & fundus, seu fundamentum gratitudinis germinandæ, ac maturandæ est, juxta eundem D. Thomam, *Transformatio ad optimum esse gloria.* Non enim lepram duntaxat peccati aufert sanguine suo; sed insuper novam inducit gloriæ, ac immortalitatis splendorem. De hac Transformatione scripsit Doctor Gentium: *Nos vero omnes revelat à facie gloriæ Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur à Claritate in Claritatem tanquam à Domini spiritu.* q. d. Gloriosam Domini DEI Nostri Divinitatem, opusque summè admirandum redemptionis nostræ, fide, ac meditatione seriâ expendentes, quasi per reflexum radiorum lucis Christi, speculi, sine macula, lucidi efficimur, & eidem conformamur. *Quos enim præservit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.*

XIV. Ad hanc transformationem elaborandam divina bonitas hominem, peccati pondere prostratum, conquassatum, conspurcatum, identi-

dem sublevat, abstergit sanat; nec secus ac prodigum illum revertentem complectitur, annulo fidei subarrhat, stolâ gratiæ circumdat, quoad cycladæ gloriæ cooperiat, & semetipsum eidem intuendum, possidendam, ut hæreditatem præclarissimam tribuat: Et poterit homo tam excessivam DEI sui in se amorem propudiosâ oblivione contere? Cogitate terrarum maximarum Principem eò vel humanitatis processisse, vel amoris sui habenas laxasse, ut ignobilissimam, oculis atque auribus captam, vermibus, sordibusque scatentem, ulceribus, vulneribusque plenam, fœminam quampiam assumplerit, à sordibus abluerit sanguine proprio vulnera ipsius sanaverit, montibus pretiosis exornaverit, in regni sociam erexerit, sibi copulaverit, innumerisque aliis beneficiis affecerit. Et poterit hæc dico turpissimâ ingrati-  
tudinis labe infici? poterit infando avelli adulterio? sub umbra hac unusquisque nostrum latet Aud. Nos æternum miseri, cæci, infirmi, nihili futuri; à summo rerum omnium Domino, è terræ pulvere, è sordibus peccati extracti sumus; nos sanguine ipsius pretioso per lavacrum regenerationis, ac exomologeseos expiati; nos eidem fide & charitate desponsati, nos in hæredes regni erecti: (*hæredes enim DEI sumus, cohæredes autem Christi*) Et poterit quispiam nostrum, hanc superexcelsivam Charitatem extinguere? poterit ingrata oblivione tantarum gratiarum molem sepelire? stupete Cæli, de flere Marmora, factum est. Potuit, ah potuit, & ignorare.

XV. Audeo dicere & proculcare,  
ste-

Gratitudinis oblectio-  
nem.

2. Cor. 3. v.  
18.

Rom. 8. 17.

Ingratitudo  
summum  
scelus.

scelera sceleribus accumulando. O portentum! O scelus! jam non communi vocabulo; sed nescio quo novo Calapino initiandum? Amentiam impietatem, bestialitatem, infandum dicerem, sed nec sic assequor. Etenim amentia dicitur quum in dilectu negliguntur meliora ac saniora; hæc vero ingratitude rejicit quandam honorum immensitatem, & obstruit fontem gratiarum in se fluentem derivantem. Impietas est quæ Parenti in necessitate constituto non subvenit, at hæc ingratitude piissimum Archiparentem inhonorat, ac exulcerat.

Bestialitas est, quum perinde ac rationis impos, pecudum ritu quispiam vivit, libidini suæ fræna laxando; ingratus Deo, infra ipsas bestias desipit. Infandum est, quod etsi lingua ferri non mereatur, potest tamen aliorum sensuum benevolentiam non excludere. Quid de ingrato dicam? oportet illum à terra tolli, ne pondus inutile sustentet, ex aëre, sequestrare, ne cum halitu suo inficiat; ex oculis auferre ne videatur; nisi forte à Dæmonibus. An non ergo qui ejusmodi ingritudinem amentiam, bestialitatem, impietatem, infandum dixerit, minus differentiam, ac proprietatem ingrati Deo attigisse videatur? Alio nomenclatore hic opus est; & verbo res tam nefaria exprimi nullo modo potest.

XVI. Sed quid ago cur in alios, & non in memet diras verto, quem novi tam multis gratuitis beneficiis in corpore æquè, ac anima cumulatum, tam clementer habitum, protectum, ac præservatum, è tot millibus in oceano hujus mundi naufragantibus e-

reptum, & nihilominus summè ingratum perstitisse, beneficia collata oblitterasse, ne dicam sprevisse, aut sulque deque habuisse. *Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Nisi hic, qui non confidit in se, non se extollit ex subditis, aut talentis, qui se miserimum putat, ac abjectum, *Nisi hic alienigena* qui se exclusum ex Patria Paradysi non habere hic manentem civitatem agnoscit, & ministrum, ac dispensatorem creditorum talentorum profitetur, *Nisi hic alienigena*, qui corde pensat beneficium, ore deprædicat, opere ipso provolutus ad pedes demonstrat. *Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo.* Quid igitur faciam? non occurrit medium sancti, quam ut cum prodigo Filio ingemiscam. *Pater peccavi in cælum & coram te jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* LUC. 15. Pater cujus proprium est misereri & parcere, vincere hostes ipsos misericordiâ, & bonitate, peccavi in cælum & coram te, abligurivi substantiam meam, dissiui vestes versicoloris à te acceptas, dereliqui te genitorem meum, fontem aquæ vivæ uberrimis donorum ac gratiarum rivis scaturientem, & fodi mibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, peccavi in cælum & coram te, sed ecce jam redeo ad pedes tuos, dignare me oculis misericordiæ tuæ; nec avertas faciem tuam à puero tuo, fac me sicut unum de mercenariis tuis: Misericordiam tuam non auferas à me, & ego miserationes tuas in æternum cantabo. *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Suscipe me in servum ac mancipium

um perpetuum, nec me permittas ob ingratitudinem meam damnari, quæ  
denihilo creasti. Amen.

CONCIO XLIII.  
IN DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

nemo potest duobus Dominis servire. Matt. 6.

ARGUMENTUM.  
DOMINIUM MONARCHICUM.

**A**Xioma præd-  
ictum quantum-  
vis æternæ sapi-  
entiz oraculo  
prolatum, incon-  
cussis SS. Patrum  
ster fixum testi-

monis, evidentibus Doctorum haud  
vulgarium elucidatum demonstratio-  
nibus, & quotidianâ comprobatum  
experientiâ; nihilo minus bene multi  
idque haud vulgaris notæ, contra idip-  
sum quâ verbis, quâ operibus lorican-  
tur, deprælianturve. A. De bicordi-  
bus illis Babyloniis in Samariam trans-  
latis sacra testantur pagina: *Et cum Do-*  
*minum colerent, diis quoque suis juxta con-*  
*suetudinem gentium serviebant.* Cum  
veri Numinis offensorem in se ani-  
mum recolligere contenderent, unâ  
Deorum futiliam pacem mactatis ho-  
stis expetebant. Cum DEO cœli u-  
nam faculam incenderent, idolo suo  
plures inflammabant acerras; cum il-  
lum colerent Sabbatho, huic Solis, ac  
Lunæ lucem sacram habebant,

De ejusmodi itidem Claudianis Is-  
raelitis sub Rege Achabo, jam idolis in  
montibus, jam DEO vivo, & vero in  
Jerusalem offerentibus, queritur non  
sine sulphure Elias Vates: *Vsquequo* 3. Reg. 18.  
*claudicatis in duas partes. Si Dominus est* 21.  
*DEVS, sequimini eum; si autem Baal se-*  
*quimini eum.* Usquequo fissum est cor  
vestrum, & jam DEO cœli ac terræ,  
jam emortuis simulachris poplites ar-  
cuatis? Si ille est DEUS vester, eidem  
ingeniculamini, sin è contra hæc muta  
idola, illis vos ex asse ad contemptum,  
& ignominiam sempiternam dedicate.  
Ejusmodi Hirco-cervos etiamnum re-  
perire est, qui Machiavellico imbuti  
genio, Religionis labarum ac popula-  
ris auræ Ethesias explicant, & ad ocu-  
lum sese Orthodoxos, re ipsa remotis  
arbitris Orco-doxos profitentur. In-  
cute virtutem simulant, in animo vitia  
enutriunt; DEUM ore nonnunquam  
invocant, Atheismum intimis insitum  
medullis amplexantur, & promovent.  
Hæc illis ars artium videtur exhibere  
sese amphibios, utrique parti quan-

Ecc tum,